UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome Controuersiarum Omnium huius Aeui Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis Quadripertitis digestarum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

XXX. Num quae Animae Christi inerat indolis virtutisque imperfectio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

Visual Library

ſtus autem à primo conceptionis inſtanti plenè vidit Deum per eſſentiam: quæ viſio Fidem excludit.

Ex iſtis liquet reſponſio ad ſcripturas quas obiiciunt quæſtione ſuperiore. Queis reſpondet Bell. *cap. 5. lib. 1. de Chriſto.*

## QVÆSTIO XXX.

### *Num quæ Animæ Chriſti inerat indolis, virtutiſque imperfectio?*

LVTHERI diſcipulus Zvvinglius in Confeſſ. ad Carolum V. *Chriſtus ab exordio naturalium minimè omni virtute, animique dotibus cunctis plenus extitit. Profecit indies anima eius; cum ab initio omnia noſſet.* Lutherus ipſe epiſt. ad Argentin. *Chriſtum à nobis primò ſubiugatum audemus gloriari.* At hæc quàm mendax gloriatio, quàm blaſphema vulgatio? Liquet hactenus; & patebit inferius *quæſt. 32.*

CALVINVS in Luc. 2. v. 49. *Adoleuit IESVS ſicut corpore, ita ſecundum Animam quoque Creuerunt cum ætate dotes animi.* Quomodo igitur Ioan. 1. *Plenus gratiæ?* Idem in Luc. 4. v. 1. *Vlteriore virtute inſtructus eſt & indutus, cum è Iordane egreſſus fuit.* Idem in Matt. 3. v. 16. *Vberiore, cum ad Redemtionis munus ſeſe accinxit.*

Hoc verò etiam cum Agnoitis Scripturas crepat: Vt Luc. 2. *Puer creſcebat, & confortabatur Spiritu plenus ſapientia; & gratia Dei erat in illo.* In græco autem eſt πληρούμενον, id eſt, implebatur: non πλήρης, id eſt, plenus. Ibid. *Proficiebat ſapientia, ætate, & gratia.*

AVTOR. I. Vox πληρούμενος quandoque idem quod πλήρης, id eſt, *redundans* ſignificat vt Stephani Lexicon ipſorum nouit, inque ludis pueri. 2. Deinde, eſto, paſſiuè capiatur; ſit *Implebatur*, id eſt, ait *S. Athan ſerm. 4. contra Arianos*: indicis ad opera maiora aptabatur proficiente corpuſculo perficiunda, quā tum illud roborabatur. Itemque *ſcientia implebatur* Increatâ, & Infuſâ, extenſiuè in membris, quantum augeſcebat.

Experimentaliter quoque acquiſitâ creſcebat: & vt ait *S. Ambr. lib. de Incarn. c. 7.* etſi naturam habuit ab initio perfectam; ſenſu tamen humano profecit; ſcil. *Tum* in ſeſe; *Tum* in opinione hominum quibus magis indies ſapientiam & gratiam Dei, quæ *erat in illo*, aperiebat: *Tum*, ait *S. Damaſcenus in Luc. 2.* Sicut Epiſcopus proficit in Eccleſia ſua, Doctor in diſcipulis proficientibus: ita IESVS apud homines. Ideò additur: *apud Deum* meritis, quà homo: *& homines*, operib. & fructu animarum.

Quid, quod, vt ſuprà retuli, S. Athanaſius ſimpliciter negat Chriſtum, quà Deum, Sapientiâ profeciſſe? Conſule porrò *D. Thom. p. 3. q. 7. a. 1. 2. 5. 9. 10. 11.*

## QVÆSTIO XXXI.

### *An Chriſtus verè Deus fuerit, ſic ab anima carneque imperfectus?*

EX LVTHERO ſuprà accepimus, expunxiſſe eum voculam Iſa. 9. *Deus fortis*, ac ſuppoſuiſſe *virtus*: diceréque IESVM *Patris Inſtrumentum.* LVTHERANOS cæteros *Energium &c.* Vide ſuprà *qq. 6. 7. 10. 13. 14. 18. 20.* Tametſi è contrà non defuerint, qui etiam Humanitatem Chriſti contenderint eſſe Deificatam: Vt ſuprà *quæſt. 27.*

LIBERTINI & FAMILIANI, *Chriſtum eſſe nudum Hominem*, verbotim profitebantur. Sunt hi à Quintino & Coppino, ſutoribus duobus Flandris, oriundi; quorum in Gallia velut examen quoddam eſſe Caluinus ait, *in Inſtruct. aduerſus Libertinos.* In Hollandia, Brabantia, Flandria magno certe numero volitant. His accedunt Familiani, qui in Anglia ad immenſam ſunt multitudinem amplificati; vt vel ipſi Miniſtri conquerantur. Vide *præfat. lib. Londini editi contra Familiam amoris anno 1577.* Porrò Tranſyluaniam hæc lues peruaſit propè vniuerſam. Vtrique diſſeminabant, *In ſua quemque fide ſaluari poſſe, & omnes in omni fide. Proindeque Liberum eſſe licitumque cuiuis Chriſtiano credere, quod libitum; dummodò ſectarum nullam condemnet.*

CALVINIANI, an Athei, his accedunt, teſte Sebaſt. Franco, vt eſt, in Caluino-turciſmo lib. 3. cap. 9. qui dicunt: *Chriſtus non eſt*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN